



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Nequando dicat inimicus meus præualui aduersus eum: Qui tribulant me,  
exultabunt si motus fuero.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

Nequando dicat inimicus meus præualui aduersus eum: Qui tri-  
bulant me, exultabunt si motus fuero.

Cum hic sit unus uersus in hebræo, sententia clarior erit, si in medio ponat  
coniunctio. Et, pro Tautologia elucidanda, hoc modo: Ne forte dicat inimicus  
meus, potui ei, & tribulatores mei exultet, q̄ motus fuerim. Nam uerbum, po-  
tui ei, seu præualui aduersus eum, psalmo. cxxvii. sic reddidit: Etenim non po-  
tuerunt mihi. Sic enim hebræis dicitur, id quod præualere aduersus quempia,  
nos dicimus. Idem ergo est inimicos iactare se præualuisse, & tribulatores ex-  
ultare illum esse uictum. Quod utiq̄ fieret, si in morte obdormiret. Eandē sen-  
tentia & psal. vi. in eosdem dicit: Discedite a me omnes, qui operamini iniqui-  
tatem (id est, Auen, seu dolorem) quoniam exaudivit dominus deprecatione  
meam. Et. cxxvii. Nequando super gaudeant mihi inimici mei, & dum com-  
mouentur pedes mei super me magna loquantur. Vbi eisdem pene uerbis ea-  
dem sententia dicitur, ut patet.

Ista est iactantia & insultatio dæmonum, quales in Christo crucifixo per Iu-  
dæos euomebant. Si filius dei es, descende nūc de cruce, saluū fac te metipsum, *insultatio ini-  
mici grauisi-  
ma.*  
liberet eum, si uult. Vbi exalta' inimicus, ut uersu quarto questus fuit: Quod  
ne fiat, aut nō imperpetuum irrecuperabiliter fiat, hoc deprecatur. Quod cum  
ab hominibus fieri molestissimum sit in uictorijs his nugacibus rerum tempo-  
ralium, incomparabiliter atrocior est confusio, si fiat a dæmonibus in his uicto-  
rijs rerum æternarum. Quod & ultimum est malorum, quod dicit, Vx uictis,  
ubi malis & afflictionibus additur ignominia, insultatio, & iactantia, quæ acri-  
us solet urere, q̄ ipsa pugna, immo, q̄ ipsa cædes & casus: quo symbolo doce-  
mur quid faciat æterna confusio uictis. Quomodo autem dæmones exultent, *Dæmones  
exultant.*  
quos credimus damnationem suā ubique secum ferre, alijs relinquo explican-  
dum. Satis abundant exempla, fuisse eos ad lapsum sanctorum gauisios, & si  
exempla non essent, tamen huius scripturæ autoritas sufficit ad rei ueritatem  
asfruendam fidelibus.

Ego autem in misericordia tua speraui, exultauit cor meum in sa-  
lutari tuo, cantabo domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini  
domini altissimi.

Hæc unus uersus in hebræo sunt, & particula ultima, Et psallam nomini do-  
mini altissimi, assuta est ex psal. vii. hebræus enim, alterā partem uersus, sic fi-  
nit: Qui bona tribuit mihi, seu, ut ad uerbum reddam, Quoniam reddidit su-  
per me. Itaq; tria membra habet prior pars: Speraui in misericordia tua, exulta-  
uit cor meum in salutari tuo, cantabo domino. De quibus affectibus psalmo  
quinto abunde dictum est. Opponere autem uidetur hæc inimicorum suorū  
iactantia, ac si dicat: illi iactant se præualuisse, exultant me succubuisse, at ego  
non de mea uirtute, sed tua misericordia me iacto, & exulto non in mea uicto-  
ria, sed in tuo salutari, id est, salute, qua me indignum longeq; alia meritum  
saluum fecisti per misericordiam tuam. Ut Emphasis sit fortis in dictionibus,  
misericordia tua, & salutari tuo. Quibus iterum inculcatur, quod sæpius in-  
culcandum est, propter ignaros dei, & superbos hypocritas, neminem scili-  
cet, non inueniri peccatorem damnabilem coram deo, nec posse subsistere  
ante faciem Aquilonis huius dæmonum, quantumlibet sanctus & plenus  
Aa iij bonis

*Oēs damnabi-  
les petōres co-  
ram deo.*